

Q.K.
398
17.

(X2000 269)

Xa
1530

ORATIO

in funere

RUDOLFI

Episcopi Halberstadiensis,
Ducis Brunsvicensis & Lu-
neburgensis,

Principis Juventutis,
Habita

Tubingæ, in Illustri Collegio 23. Aug.
Anno Christi MDCXVI.

a

THOMA LANSIO.



GVELPHERBYTI,
Typis ELIAE HOLVVEINS, Anno 1617.





S E R E N I S S I M O P R I N-
C I P I D n.

F R I D E R I C O U L R I C O ,
Duci Brunsvicensi & Lune-
burgensi, &c.

Egati tui, Serenissime Princeps, quos nuper ad exequias Divi fratris tui R V D O L F I cohonestandas hic misisti nobilissimos & amplissimos, non tantum abste, & jussu tuo omne mihi denunciaverunt gratiam & addiderunt ea liberalissimè, que longè supra meam erant expectationem: verum etiam Orationem funebrem, quâ memoriam optimi Principis R UDOLFI pro ingenij mei tenuitate, certè non pro illius meritis, celebraveram, ut primo quoque tempore descriptam publicatamq; Serenissimæ Celsitudini tuae dedicarem, authores fuerunt. Facio magne Princeps, hortatu tuorum, quod sponte meâ vix eram facturus, & tibi humilimè offero hisce chartis scriptum, quod illi audire dictum, in quo si nihil aliud sit principali aspectu & lectione tuâ dignum, istud tamen habeo persuasissimum, te hîc veluti in imagine fratrem tuum R V D O L F V M redivivum jucundissimè contemplaturum esse. Tübingæ, Kal. Septemb.

Serenissimæ Celsitud. T.

devotiss.

T H O M A S L A N S I U S .



S E R E N I S S I M I P R I N-
C I P I S

F R I D E R I C I U L R I C I
D u c i s B r u n s v i c e n s i s & L u n e-
b u r g e n s i s , &c.

*Legati, Amplissimi, Nobilissimi;
Auditores ceteri Magnifici, Illustres, & undiqueq;
honoratissimi*

Vm primūm de adventu Reverendissimi & Illustrissimi Principis RUDOLFI, Postulati Episcopi Haiburgensis, Ducis Brunsvicensis & Lüneburgensis, &c. huc nunciatum esset, &, ut fieri amat, tanti Principis præsentiam multa egregia elogia præcurrerent; inter varios istos festosq; gratulationum applausus summam voti mei ego hanc feci; ut virtutis majorum, omnino incomparabiles, optimo Principi RUDOLFO hereditarias cum nobili proprio-

O R A T I O .

propriorum meritorum auctario toto pectore fuen-
tim comprecatus. Et quid pro illius felicitate ani-
mo cōcipere majus, quid ore dicere gloriosus, quid
ad perfectissimam Principis ideam illustrius optare
potuisse? Nam quis fuit illi Pater? Pater illi fuit
HENRICUS IULIUS, heros cum pace conferen-
dus; qui in usitato seculi decore Principatum cum
Musis fœderavit, tantâ honorum prærogativâ, ut o-
mnibus Europæ Principibus palmam prudentiæ &
doctrinæ ambiguam fecerit. Quis fuit illi avus?
Avus illi fuit IULIUS, IULIÆ ACADEMIÆ PA-
TER: qui jucundissimâ justi & moderati imperii
memoriâ, & æternis pietatis virtutumq; operibus
omnem posteritatem populi Brunsuicensis Ducat,
ad perennes gratiarum actiones sibi reddidit ob-
noxiam. At qui non vacat jam, nec licet etiam in
hoc temporis angustia, seriem avorum & agnato-
rum stirpis Guelphicæ, toto orbe celeberrimæ h̄ic ex-
plicare prolixius; & ad Gentem usq; actiam excurrere
qua Romæ L. Valerio Flacco & C. Mario Coss flo-
ruit, maximè verò M. Actio Balbo C. Cæsaris Au-
gusti avo materno, & C. Actio, qui imperante The-
odosio vixit, fuit inclyta; & ex qua ducum Brun-
suicensium & Lüneburgensium in Germania, nec
non Marchionum Estensium & Ducum Ferrarien-

O R A T I O.

sium in Italia familiæ descenderunt. Id tamen asseverare, & vel ipsam invidiam hoc libero veroque verbo laceſſere ausim: Ut olim Romæ Deciorum familia fascibus laureatis fuit plena, gloriā in tam longo stemmate nunquam variante: Siquidem, Cassiodori preconio aliquid mediocre in ea nasci nesciit, & tot probati quo geniti: ita serennissima dominus Brunsuicensis penitissimè repræsentavit Germaniæ nostræ fortunam & felicitatem Deciorum; nisi quod amplius etiam orbi spectandos exhibuit Heinricum Leonem, Othonem strenuum, Albertum magnum, Othonem coclitem, Henricum pacificum, Guilielmum victoriosum, Ericum seniorem, & tot tantosq; alios semideos Principes, quo quantosque virtus Deciorum capere non potuisset. Atque ita, Auditores, Principem RUDOLFUM adhuc dum absentem feceram votu meo maximis Principibus parem, & plerisque superiorem: quem paulò post præsentem cum proprius contemplarer, & in augusta corporis specie, in erecta fronte, in oculis mitissimis, in toto vultu humanissimo, in sermone perfamiliari modestissimoq;, optimæ indolis atque judicij accuratissimi iudicia legerem; tantum abest, ut me voti mei pœnituerit, ut etiam interior animi veneratio creverit, & affectus devotus validissimè fuerit confirmatus. Etsi tunc quoq; fuit, quod me non leviter concussit

& per-

O R A T I O .

& perturbavit: Prægrandis illa & vasta adhuc intra pubertatis annos corporis moles, pectus ob circumfulam pinguedinem perangustam, Spiritus reciprocatio paulò concitatori motui parum sufficiens, & quod primæ admissionis amici suggerebant, valetudo sæpe dubia & in ruinam proclivis: quæ omnia curriculum vitæ brevius prænunciare videbantur. Auxere suspicionem cùm alij naturæ scrutatores, tūm subinde Princeps ipse: qui non raro, etiam integer planè & in columnis, ingenti animo prædicebat, propediem se fratriis H E N R I C I C A R O L I, Episcopi Halberstadensis, &c. proximo anno defuncti, vestigia ingressurum, nec diu inter mortales superstitem futurum esse. Et heu nimis verus vates fuit! Heu nimis præcipitia auguria! Vixit n. vixit inclytus ille Princeps, & in ipso ætatis flore nuper admodum vivere heu! desiit cum incredibili sanctissimè matris cordolio cū fratrū fororūq; luctu acerbo, cū populi Episcopatus Halberst. Ducatusq; Brunsuicensis, gemitibus profundis, cum lacrymis domus familiarum uberrimis, cū tristissimo deniq; desiderio, ill. hui^o collegii, & honorū virorū quorū cunq;. Arderet hic anim^o, lenimēta & solamina amissitā gravi repētinoq; casu afflictis aspergere, sed quia sum^o ab hesterna cōciōe funebri, solationū copiosissima recētes, in qua nihil hominib. eterñ esse

&



O R A T I O.

& omnium rerum fugâ vivi, ex limpidis $\delta\kappa\sigma\phi\imath\alpha\varsigma$ fontibus sumus edocti; pietati proximum fuerit, à funestis cogitationibus redire in officia viventium, & mutuum silentium calamitatibus præstare, ne vulnera, quæ cicatricem processu temporis ducent, intempestivè contrectata crudescant. Sera enim & crebra solatia acriùs instaurant dolorem. Verùm illustre Collegium impatiens dispendij sui de honore virtutum Episcopi & principis RUDOLF PETIT levamen; quem spe magnum, &, si fata sivissent, re admirabilem futurum, laudatione solenni tradere conatur ore meo memoriæ posteriorum: non quod ille præmia terrena desideret, qui gaudia corporis etiam cum hominem ageret, ut caduca calcavit; sed quia ornamenti bonorum incitatur imitatio, & virtutis æmula alitur exemplo honoris alieni. Hâc igitur conditione orationem habebo illi, non ut eâ commendem ipsum, sed ut eam commendet ipse; sciens, nihil illi, qui virtutum suarum & vitæ integerrimæ testimonio nititur, per me accessurum, decessuru n tamen officio meo, si tacerē. At vos, Auditores, servate consuetudinem vestrā, & audiendi facilitatem; quæ cum vobis innata sit, remittit mihi laborem deprecandi. Nam penè injuriam facit præstanti, qui anxiè petit, quod illius natura



O R A T I O.

natura sponte promittit. Sicut tamen boni Imperatores instructa acie interdum facere solent, ut eos præcipue ad pugnam animent, verbisq; exhortentur, quos præ reliquis ad conferendas manus alacres promptosq; esse vident: ita ego quoq; omnibus precibus à vobis nunc contendeo, ut hoc agatis, quod agitis; & aliquid audire dignemini de Principe RUDOLFO mortuo, quem si vivus hīc inter nos versaretur, omni cultu & observantia sitis complexuri. Sermo erit parcus: memoria nunquam desitura.

Natus est Princeps RUDOLFUS VVolfertbüteli, Anno hujus seculi secundo, Iunij die decimo quinto, patre supra laudato, nec tamen satis laudato, divo HENRICO IuLIO, Episcopo Halberstadeni, Duci Brunsvicensi & Luneburgensi; matre verò ELISABETHA, FRI-
DERICI II. Regis Daniæ Filia heroinâ si genere æstimetur, summis componenda; si ingenio, nullis postponenda; si meritis & virtutum ornamentis, quam plurimis etiam præstantissimis præponenda: pro cuius incolmitate ego D E U M veneror, ut beneficiis suis addat perpetuitatem, & illam augustam Principem donet largo ætatis excursa, ita ut senectus nihil decoquat firmitatis. Quæ autem gaudia

B

hic re-

O R A T I O.

hic recens natus filiolus peperit parentibus, difficile est verbis execqui: cum amor parentum in liberos, ut maximè aliæ amoris causæ desint, tamen ob hoc ipsum, quia liberi sunt, vix unquam consistat intra modum. Unde solent parentes avari esse votorum, nec ulla liberorum bona putare perfecta, desiderio & cupiditate potiore. Qui adfectustantò majores concipit impetus: cū vident, infantulū pulchellū, succip plenum, & omnibus membris sic esse cōfūmatum ut natura perfectionis insigne documentum dare voluisse videatur. Qualis omnino Princeps noster RUDOLFULU s erat: cuius præclarissimè intenellulo & grandiusculo statim corpore minæ fidem faciebant, fore, ut singulares Patris matrisq; virtutes simul omnes, novis incrementis auctæ, in illo ad æternitatem laudum domus Brunsuicensis mox reflorescerent: non quod cæteri fratres fororesq; paternæ felicitatis successionem pro parte legitima non creverint, aut etiam à serenissima matre sint exheredes scriptique sed quia soliditas amoris parentum singulis liberorum accessit: cum bona animi, etsi spargi in plures creduntur, unicuique tamen proficiant plena & indivisa.

At enim hanc omnibns humanis gaudiis legē natura dixit; ut curæ voluptatem sequantur. Natæ
soboles

-OTIOIN

O R A T I O.

Ioboles primò parētes hilarant: mox pii metus brevem gratiam fugant. hic & honor in exordiis lāetus est: dehinc animos laborū & stus ingreditur. Et quidem matres, vix absolutis partitionis doloribus, illicò occupat perdius & pernox labor atq; necessarium prorsus officium nutricationis. Censeo n. Auditores preter ipsas matres, si modo valetudo aut alia causa gravior nō intercedat, nullas nutrices esse debere. Nam q̄ est hoc contra naturam imperfectum & dimidiatum matris genus, peperisse & statim ab sese abjecisse? aluisse in utero sanguine suo nescio quid quod non videret; non alere tunc suo lacte, quod videat, jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem? An natura fœminis mammariū ubera quasi quosdam nævulos venustiores, non liberū alendorum, sed ornandi pectoris dedit? Sic enim prodigiosę multę mulieres fontē illū sanctissimum corporis generis humani educatorē arefacere & extinguere cū periculo quoq; aversi corruptique lactis laborant, tanq̄ pulchritudinis sibi insignia devenuster. Quid? q̄ sicuti valet ad fingendas corporis atq; animi similitudines vis & natura seminis ita non secus ad eandem rem lactis quoque ingenia & proprietates valent. In Hispania hominum memoria duę fuerunt sorores, forma & moribus non parū

B 2

inter

O R A T I O.

inter se difformes: altera modestissima, quæ matris lacte crevit; altera agresti temulentæque nutrici commendata pravo lacte; ingenium commutavit, evasitque ferox. Et in eadem provincia superiore seculo cujusdam lacte canino educati usque adeò cerebrum aruit, ut noctu fugato somno per plateas miserabiles ederet ululatus latrantis in morem. Tanti refert, infantulos nullà alieni sanguinis mixtura contaminari. Quia in re tamen oppidò gravissima & maximi momenti hic hodie ubivis ferè locorum peccatur, ut pleræque fœminæ honoratores cum existimationis suæ læsione conjunctum, & honorem suum nimis arctè in ordinem coactum esse stultè opinentur, si nutricationis officio ipsæmet defungi habeant necesse. Et propterea passim colliguntur illa malafidei & pudenda omnia in IX. ò purgamentis hominum nullo propemodum judicio, si modo copioso lacte turgeant: quæ, dum perpetuis implicantur cogitationum adulteriis, & quia fortè ob diligentiores custodiām foris non licet, domi in cordis sui lupanari strenue & sine indiciis Venerem exercent; aut dum scurrilitate jocorum, cantiuncularum obscoenitate aliisque dictis & factis improbis castissimos oculos.



O R A T I O.

culos auresq; infantium cotidie fatigant ; simul
sanctissimos eorum animulos pestilentissimo vi-
tiorum afflatu & tetri Spiritus commercio corrum-
punt cum inæstimabili Reipubl. damno. Exagge-
rarem Epidemicę hujus pravitatis labem pluribus ;
nisi verba rebus essent minora , aut intempestivæ
sapientiæ adscriberetur, adversus adultum istum &
præpotentem errorem rationibus frustrà depugna-
re : quanquam nil precari utilius & salutarius nobis
posterisque possimus, quam seriam & severam hu-
jus vitiosissimi moris emendationem. Non verò sic
olim Romani qui artificiosissimæ naturæ solertiam
admirati in eo, quod ubera mulierum adfixerit pe-
ctoribus, quò istæ unâ eademque operâ filiolos &
lacte suo nutrire, & amplexu fovere, & facile com-
modeque exosculari possent, quascunq; matres to-
tas integras filiorum esse matres sapientissimè vo-
luerunt; M. Catoni Censoris uxore in hisce naturæ
sensibus capessendis tam industriâ & providâ, ut et-
jam servorum filios, quos infanti suo fortiori be-
nevolentia vinculo devincire cupiebat, aliquando
uberibus suis admoverit. Nec sic quoque olim ma-
iores nostri Germani: quos Tacitus in eos artus &
hæc, quæ mirentur Romani excrescere corpora scri-
bit ; quoniam sua quemque mater uberibus aleret,

B. 3;

nec

O R A T I O.

nec ancillis ac nutricibus delegaret. Sed ut tempore
rum senio, ita morum flagitiis laboramus. Quod si
tamen summati fortunæ adversus illud naturæ de-
bitum exceptione uti lubet: tunc id, quod charitatē
& pietatem matris suppleat, negligendum non est;
ut scilicet nutrix deligatur, quantum potest, univer-
sâ corporis constitutione præsignis animo mansue-
ta, probitate excellens, ingenio spectabilis, & quæ
virtutum semina cum lacte in alumnum transmit-
tat, sicq; in tota cōversatione nihil auribus, nihil
oculis, nihil animulo infantuli obijciat, quod non sit
ex probatissimis moribus & incorruptissima disci-
plina. Quantumvis enim cautio adhibetur summa-
fit tamen, ut nec satis caveri possit, malitiâ nutricū
conrra prudentiam matrū aliorumq; oculatissimo-
rum hominum prævalente. Princeps hodieq; vivit
inter mundi maximos sanè non minimus, cujus ore
fortuna grandia loquitur, qui primis annis fœda ta-
be & ulcere afflictus fuit, vitiø nutricis nefariâ il-
lâ contagione obsessæ. Quare tenera illius ætas spē
vitæ & regni valdè accisam præ se tulit; & is totos
quatuordecim menses pro recuperatione valetudi-
nis passus est ea à Medicis, quæ solent Americana lue
sive morbo Gallico correpti. Sed quid ægit noster
infantulus? noster RUDOLFUS? noster Princeps?
Ille,

O R A T I O .

Ille, mei auditores, rectissimè valet, bellissimè habet; in cunis blandulo garritu jocatur, in gremio & ulnis serenissimæ matrisludit, tutus curâ & solicitudine ejus ab omni periculo noxiæ nutricationis; corporis animiq; bonis instar alluvionis pedetētim, & sic largiter tamen in dies augescentibus, ut quamlibet voti parentum avaritiam explere potuissent. Nisi prodigam naturæ benignitatem accusare velimus: quod annos muneribus suis anteveniendo expectationem de incrementis infantuli conceptam longè supergressa sit: augurio, ut antè memini, non usquequaq; lēto. Ut enim flumina cum altius intumescūt & ripas licentiùs expatiantur, multoties mole aquarum aliorsū incumbente, novos alveos faciunt, veteribus relictis: ita, qui corpore animoq; celerius & ante pubertatem viros æmulantur, haut raro opinione citius terris denascuntur ut cœlo nascantur.

Verum enim verò missis nutricationis, & illis jocularium ineptiarum crepundiorumq; annis & quando & quomodo indoles succrescentis pueruli ad seria magis duci debeat, hoc demum non matris tantum, sed utriusq; parentum, præfertim patris op^{er} hic labor est. Miserum est, relinquere liberos, ad quos nihil ex hæreditate præter famem perventurum sit ac sitim: miserius tamen est, relinquere
cum illo

O R A T I O.

cum illo paupertatis satellitio etiam malam & bo-
narum artium rudem mentem: at multò omnium
est miserrimum, si cum mala rudiq; mente veniant
magnæ & regiæ opes, apud istam futuræ, nequitiaæ
& scelerum instrumenta. Prudens itaq; & accurata
institutio omnem facit paginam: & in ea omnia
vitæ bona malaq; unicè vertuntur. Ut in semente
posita spes messis: ita in illa totius vitæ fructus. Sed
maturato opus, nec surgens ætatula suis cupiditati-
bus diutius permittenda est. Namq; ut gypso ma-
dido statim utendum, cum ocyssimè siccatur: ita
continuò fingenda moribus & litteris mollicula ju-
ventus, priusquam durior non admittat amplius
fingentis manum. O verò & hîc capitalem humani
generis errorem! O communem curæ privatim pu-
bliceq; salutaris incuriam! Hodiè enim quæ educa-
tio? quæ disciplina? quæ institutio? Filiorum pue-
ritiam deliciis imbuimus, voluptatibus induimus,
quodvis dictum factumque turpiculum licet risu o-
sculoq; excipimus; corpus otio, animum libidini
præparamus; ostro, purpurâ, auro, argento,
gemmais, fastum accendimus; gulam, palatum-
que cupediis iritamus, nervos omnes sensusque
omnes improbis actionibus hebetamus & elidim.
Ita illi mollis cerę instar ducentis manum in quem-
cunque

O R A T I O

cùnque habitum formamque facile sicuturi, dōni
audiunt videntq; quæ pudet pigetq; referre exem-
pla turpitudinum & iimagine vitiorum. Quis autē
credat ex hisce pueris bonos utilesq; Reipublicæ
cives aut principes fieri posse? imo quis non credat
potiūs, tales, ubi primum suæ libertati & potestati
traditi aut magistratum sive principatum adepti fu-
erint immani barbarie miserandas virtutum stra-
ges quācunque occasione edituros esse. Fatui sunt
igitur qui agros colunt diligentissimè, ut multipli-
catus proventus labore vincat, qui mirificas ædi-
ficiorum moles multis columnis & fornicibus nixas
è marmore extruunt in altum, adduntq; variam su-
pellectilem pretiosam, signa, statuas, picturas, a-
mœnitates hortorum, auri quoq; & argenti pon-
dere graves arcas; & quicquid luxus excogitare
potest; qui domus procuratorem constituunt virū
fidelem, januæ custodiam committunt viro non in-
epto, ac reliquos rei familiaris ministros volunt
esse omni exceptione maiores: solis filiis, ad quos
tamen universa bonorum spectat successio, indul-
gent, ut suo vivant arbitratu. At quo successu? quâ
gloriâ? sæpiissime, Auditores, cum infami macu-
la & totius familiæ dehonestamento, atq; certissi-
mo patrimoniorum exitio: cum omnis fortunæ hę-

C

redi-

O R A T I O.

reditas, nisi à virtute mutuetur durationem, sit
ambulatoria, & vix sequatur heredem tertium;
nec raro

momento labilis horæ

Transmutet dominos, & cedat in altera jura.

Aliter melius consulti patres liberorum saluti prospiciunt: quos nec pudet interdnm repuerascere, & velut e quales liberorum studiis se denuò adjungere ut illis pietatis, virtutum, literarumq; dulcedinem, dum elementis initiantur, labor participat insinuet; nullis impensis, nullis curis, nullis vigiliis parcunt, ipsumq; necessarium somnū dividunt, usq; dū intermetum & diligentiam lentus pignorum profectus adolescat. Quos a. Patrię salus, aut & nascendi privilegium Reip. gubernaculis admovit, sicq; obstrinxit bono publico, ut, dum Patrię patres audiunt & ita dici merentur, domi patris munia omnia obire non possint: iis subinde plurimum anxietatis & molestiarum concoquendum est, dubiis, an vicariâ institutionis opera sit liberis ex sentētia consultum: Si quidem vel levissimum initiō peccatum in principe puero à rectoribus juventutis admissum, postea totius Reipubl. malo luendum est. Gravissimus enim morbus, ut in hominibus, ita in Reipub. est, qui diffunditur à capite. Qua de causa iij cum primis moribus

O R A T I O .

bus studiisq; Principum adolescentum præficendi sunt, qui non tantum præceptis & vitâ pietatē, virtutes alias, bene imperandi scientiam, & quamlibet morum elegantiam dexteritatemq; instillent sedulō, qui nullo vitio ipsi sunt infecti, quod frequenti usu traductum in pueros ad reliquam ætatem hæreat: verum etiam qui in id unum veluti conjurati incubant unanimes, ut lubricum Principis ingenium, si virtutem fortè aspernetur, cohæreant & mitigent conveniente disciplina. Ut enim in vestitu cæteroq; vitæ cultu loco ac tempori apta sumuntur: ita pro indole Principis informandi tota ratio institutiōnis erit attemperanda, laudando, monendo, minādo, increpando. Non etenim semp̄ licet byssina dare verba, aut sparsa sesamo ac papavere: aliquando vox asperior plus prodest, uti nonnunq; amara hauſtu ad salutē conferunt, & succis tristibus adfecta refocillantur. Et quemadmodū fœnum Gr̄cum durius tractatum provenit melius: ita multi liberi qui educati indulgentiūs, plerūq; pessumeunt; habiti severiūs, plerunq; pveniunt ad frugē. Modus tñ utrinq; est servandus. Sic ferē leones, ferum & adspectu terribile animal, neq; crebro verberibus cædendi, neq; blanditiis frequēter demulcendi sūt: cicurātur, si minē misceātur popismis. Quanquam fatali Reip.

C 2

pernicie



O R A T I O.

pernicie nimis s^epe contingit, ut ipsi quoque ma-
gistrī adfectum duello inter se scissi hoc unicum
studiosissime moliantur, quibus artibus singuli so-
liq; in principis sibi crediti gratiam tanquam in va-
cuam possessionem faciant impetum, atq; candidū
illius pectus, aliās naturā suā sinistris opinionibus
nequaquam pervium, in alterius college odium ex-
acerbent, veriti fortassis, ne, si vaniloquiorum &
adulationum ferrent arbitrum, paullo modestius
grassari cogerentur. Imperator Carolus V. suo ma-
lo sensit, quantum possit illud animorum inter ma-
gistros divortium. Fuit enim illi morum rector
Carolus Crojus, Præceptor autem Hadrianus, post-
cā Pontifex, hujus nominis Sextus. Hic licet natus
esset adolescentem docilem, & ingenio omnium
artium capaci: Crojus tamen, ut in integrā Caroli
Principis possessione frueretur, illum militares jo-
cos s^epius offerendo sensim avertit a literis, & Ha-
driano officium interclusit; ita tamen, ut iste disci-
pulo diceret, fore aliquando, ut eum præsentis ne-
gligentiae pœniteret. Nec falsus fuit Hadrianus.
Carolus Cæsar enim cum Genuæ Latinam Oratio-
nem quodam recitatam non satis intelligeret, suspi-
rans hæc verba ingenuo ore protulit: *Agnosco* inquit
nunc

O R A T I O .

nunc maximè , & cum dolore quidem Hadriani magistri mei
divinam onita , cum hos flores & elegantias Latini sermonis
percipere nequeam , & meminerim eum saepe prædictissime , me alij-
quando puerilis incuria & pænas daturum . Crojo ita ad sum-
mam potentiam contendente , Hadrianus ad Fer-
dinandum Regem in Hispaniam missus est , amplis-
simo quidem cum munere legationis , nisi ea hono-
ris specie vir æquissimus longius ablegatus fuisset .
Hoc verò modo & aliis in locis ingentes sunt fun-
datæ opes ab iis , qui cassa fide , abjecto pudore , ex-
turbatoq; disciplinæ socio , caducam & fragilem
puerorum Principum benevolentiam sibi turpi
obsequio conciliaverunt ; quorum nomina ne me-
moriæ prodantur , posteris eorum & necessariis tri-
buimus . Atqui iterum Principis nostri R U D O L F I
felicitatem hic meritò suspicimus & dilaudamus :
qui faustissimo sidere tamq; suavi magistrorum cō-
centu sic transegit educationis annos , ut quacunq;
censeantur parte , undiq; parentum pia solicitude
& providentia , præfectorum præceptorumq; fides
& officiū , studium verò ipsius Principis R U D O L F I
quæcunq; monita in curā sancti & divini pectoris
sui recipientis , pulcherrimè enituerint . Ut fontes
sunt , qui potu pecudum cutem & pilos tingunt co-
lore albo nigrōve : ita in Principe illo relucebant

ORATIO.

radij virtutum, quas jam imbibera omnes patriæ & orbi eas glorioſiſſimo cum foenore propediem redditurus? Injuriam ſeculo fecerim, Auditores, niſi in ejus uſum aliquid ē ſacratissima optimi hujus Principis memoria hīc decerpam posteritati erudiendæ. Auctor enim eſt bonorum ſequentium, qui relinquit exemplum. Etsi vereor, ne, dum id facio, diſſiculter deſinere poſſim: cum quæ voluptatem ferunt, negent ſatietatem, nihilq; accidit moleſtius, quam orationis placitè citus tranſitus. At per omnes virtutes non ibo, ſimulq; operam dabo, ut compendiosiſſime decurrām.

Pietas ſanē adverſus Deum, quâ ſublatâ fide etiam & ſocietas generis humani, & unâ excellētiſſima virtus iuſticia tollatur neceſſe eſt, RUDOLFO Principi in omnibus actionibus & ſermonibns fuit familiariſſima; cui quoq; habitationem dedit cor i-pſum; ut ita individuo vitæ conforțio cum ea eſſet ſemper, & ſine ea eſſet nunquam. Centeſimum annum excedentem virum olim Imperator Auguſtus hospes interrogavit, quānam potiſſimum ratiōne vigorem illum animi corporisq; cuſtodiffiſſet: respondit ill, *intus mulſo, foris oleo*. Sed hoc perexiguum fuifſet Christianiſſimo RUDOLFO noſtro, qui veræ pietatis oleo unctus, mulſo potus, non centum annorum

O R A T I O .

annorum delicias in hoc terrarum ergastulo, sed
in cœlis æternitatem quærebat. Quantacunq; enim
& quæcunq; vita inferior mortal is, si eam superior
& immortalis ductu pietatis non consequatur, sit
infoelicissima. Fuit in Sicilia Messanæ avorum tem-
poribus **C O L A P I S C I S**, Catanæ ortus, vir cun-
ctis leculis memorandus; qui omnem ferè vitam
relicta humana societate, solitariam in freto Mes-
sanensi inter pisces duxit; & quia extra maris a-
quas diu esse non poterat; inde **P I S C I S** cogno-
mentum ei inditum est. Is verò nando tantum pro-
fecerat, ut haud secus quām marina belua immen-
sa pelagi intervalla, spatia quingentorum & am-
plius stadiorum, etiam fœdâ tempestate reluctan-
tibus aquis natatu peragraret. Constat & illud,
cum nave plenis velit inter violentissimas decuma-
norum fluctuum agitationes & vastissimos aqua-
rum montes per maria fermentur, Colam natan-
tem obviam subinde factum ex undis mediis nau-
tas suis nominibus appellare solitum esse: &
quoniam omnibus erat notus, nautas subitæ
rei percitas miraculo lætissimis animis illum in
navim excepisse, unde veniret, quō iret, &
quantum iter nando emensus fuisset, quæ in-
fotunia sustinuisset, sciscitari consuesse;

C o-

O R A T I O.

Colam verò ad singula aptè respondisse, mox cum sociis in navi pransum, postquam acquievisset, mādata ad suos, quæ illis dici referriq; vellent, à singulis accepisse, nudumq; ut erat è navi medio jam pelago cursum tenente, se precipitem in mare dedisse, modò Cajetam, modo in Salentina, Brutia & Lucana litora modò in siculos fines & natale solū, ad quod frequens ventitabat, in columem nando pervenisse ; mandata quæ à nautis acceperat, eorū necessariis & ad finibus rectè exposuisse. Cum itaq; hunc tanquam prodigium quoddam Messanenses multos annos mirarentur : tandem præcipuo quodam solenniique festo die in portu Messanæ, effusa ad spectaculum multitudine, experiri credo volens quantum alis urinatoribus præcelleret, dum patetram auream munus natantibus à Friderico Siciliæ tunc Rege in mare dejectam, & semel atque iterum sam è profundo erutā, tertio eripere conatur, diu expectatus ab imo maris fundo, in quem se demiserat, nunquam emersit. Existimatum est, in concavas illius pelagi cavernas & imas voragine delapsum, cum ad superiora niteretur, reverti nequivisse; sicque respiratione occlusâ inter occursantes scopulos undique inundantibus aquis oppressum interiisse. Quorsum hæc talia mei auditores? ut intelli-

O R A T I O .

intelligamus, similimè comparatum esse cum illis,
qui fastidito seriæ pietatis commercio, externorū
inanum oceano se tradunt infelices: in quo ut omnia
inter quosvis undarum lusus longissimo tem-
pore suaviter arrideant, tandem tamen luxu, fastu,
& reliquis blandienti fortunæ cognatis vitiis, in
horrendam Stygiæ paludis abyssum sine spe rur-
sus emergendi demerguntur;

ubi nulla manent discrimina fari,
Nullus honor, vanoq; exutum nomine Regem
Perturbat plebeius egens.

Pietati erga D E V M Princeps noster jun-
xit etiam pietatem in parentes: quos verbo ge-
stuque indecoro non violavit, vultu austero non
offendit; Sed ore predicavit, ut qui gratissimus; ob-
sequio coluit, ut qui devotissimus; veneratione &
adfectu honoravit, ut qui piissimus. Scivit is, bene-
ficia parentum esse talia, quæ vincant spem solutio-
nis: Sed & hoc scivit, piis contractibus amorem
sufficere, adeòq; lucis auctoribus, qui ex gaudio
conscientiæ mensuram benefactorum suorum col-
ligunt, obsides liberorum animos satisfacere posse.
Equidem literæ, quas non unas Tubingâ ad Serenissi-
mam matrem E L I S A B E T H A m scriptas vidi, te-
stes erunt pietatis & gratitudinis sempiternâ laude

D

dignissimæ

O R A T I O.

dignissimæ. Et quia Pater H E N R I C U S I U L I U S,
magnanimus Princeps, temporius ad meliores abi-
erat, quām ut ille R U D O L F U s filius debitam pie-
tatem luculentâ aliquâ demōstratione probare po-
tuerit; iste optimum Principem F R I D E R I C U M
U L R I C U M, sanguine & charitatem verè fratrem,
etiam patrem sibi fecit observantiâ & cultu. O quām
copiosæ suavitatis illa recordatio est! in eodem do-
micilio, antequam nascerer, habitavi: in iisdem in-
cunabulis infantiæ tempora peregi: eosdem appel-
lavi parentes: eadem pro me vota excubuerunt:
parem ex majorum imaginibus gloriam traxi: &
tamen, qui mihi naturâ frater, idem mihi benig-
nitate Pater est, & eidem pietate filius factus sum
O fratum par inimitabile! Sed ô nimis subito im-
par! Tu verò salve & vive serenissime Princeps, F R I-
D E R I C E V L R I C E. Ego inter cultores tuos digni-
tate & opibus non paucis inferior, at mente devotâ
vix cuiquam secundus, simplici voto, quo uno vo-
ta universa bonorum omnium, orthodoxæ Eccle-
siæ tutela, Reipubl. salus, illustrissimæ familiæ splē-
dor, pax, concordia, felicitasq; subditorum conti-
nentur, tibi offero. Idcirco Deum Optim. Max hu-
milimis precibus obtestor, ut te quam diutissimè
mè mortalium cædibus interesse patiatur, faveatq;
smilingib. D mune-

ORATIO.

muneribus, quæ dedit, & iis jugiter immoretur. Se-
ra sit, & nepotibus demum nota dies illa, quæ tam
illustre depositum cœlo est illatura.

Sed rursus convenio Principem RUDOLFUM,
& pietatem eius in cognatum sanguinem extollo,
vel ad sidera usq; si fieri possit lingua mea vecturus.
Quidam tentandæ ejus patientiæ causâ sumserat
personam judicandi de bello Brunsuicensi nupero,
& jecerat dictum ex transverso, unde coniici posset,
veteres Duces ac Principes Brunsuicenses non ad-
modum bene posteritatis rationes subduxisse, cum
tot tantisq; privilegiis urbē Brunsuicū ornassent. Ille
statim *parciūs ista infit, de mortuis non nisi bene.* O dictum
benè! ô dictum egregium! ô dictum regium! Ut e-
nim nocturne quedam aves ululatibus suis hominū
turbant quietem: ita sunt temerarii & audacissimi
censores, qui, quasi in vivos & mortuos decreto pu-
blico ipsis esset mandata inquisitio, semp aliquid e-
vomūt, quo famem & existimationem bonorū con-
spurcēt. Et conquestus est Dux RUDOLFUS in liberiori
colloquio, me præsente, cū affereret, hodie regnate
effrenē linguarū licentiam, quæ tantā vesaniā passim
in önes hominū ordines debacchetur, ut magnatib.
principib⁹, & Imperatori ipsi leges præscribere, eo-
rū actiones arbitrari & castigare ausi: Nō a. debere

D 2

ta-

talia ferri, ne ad pejora armentur. Spitus illi mali
 impunitatis exemplo; cum secundum effugium nō
 desperet, qui laqueos prioris criminis evasit: Pa-
 trem suum Ordinum Imperii amicitiam officiis, &
 Cæsaris gratiam constanti obsequio meruisse; se
 quoque hanc officiorum & obsequii laudem cap-
 taturum, & De i vicario Cælari, quæ sint Cæsaris,
 animo paratiſſimō daturum esse. Et in hanc senten-
 tiam pluscula pius Princeps loquebatur, quæ avidis
 auribus hausi. Evidem, si verum fateri velimus,
 non ex uno morbo ægrotat Germania nostra; ut &
 alia regna omnia. Scissura enim Religionis nos tor-
 quet; factiones inter ordines gliscunt, hostibus in-
 terim plausibili amicitiarum prætextu ignem di-
 scordiarum in rem suam gnaviter alentibus; deli-
 berationes de Republica sunt longæ & impeditæ,
 cum tamen facto, non consulto opus esset, veren-
 dumque sit, ne dum deliberant Romani, capiatur
 Saguntius, Hieronymus Balbus Archiducis & post-
 ea Cæsar, Ferdinandi legatus Romam missus, ut
 à Pontifice Adriano VI. contra imminentia Tur-
 carum arma maturam opem imploraret; cum vide-
 ret, lentiſ valde & perplexis Hadriani consiliis nihil
 promoveri, multaq; consideratiūs deliberata retra-
 stari, in frequentissimo Pontificis & Cardinalium se-

O R A T I O,

natū, *Fabius Maximus*, sanctissime pater, inquit, rem Romanā cunctando restituit, tu vero pariter cunctando rem Romanam simulq; Europam perdere contendis. Non sum ego Hieronymus Balbus, nec legatus Cæsareus, Auditores; illi tñ Germanica libertate par, ingenuè edico; Germaniā nostram hodie non Fabianā, sed Hadrianica cō filiorum cunctatione acerrime & miserè discruciari. Verùm privati tales Æsculapii, tales Podalirii & Machaones, in gravissimis istis Reipub. morbis non audiuntur: imò quasi empirici essent, aut sine permisso superiorum facerent medicinam, si mitissimè cum illis & sine dicteriis agatur, jubentur abire ad scholam Harpocratis. Abominor tamen animitus quotidianam illam calumniarum & convitiorum intē periem; quam vappæ & quisquiliæ hominum contra bonos malosque, nullo propè dignitatum discrimine, linguà styloque prælicenter effundunt: quorum rabies nescio an non solo contemptu optimè puniantur. Ille ipse n. Hadrianus Pontifex famosis criminibus apud Pasquilli statuam Romæ laceratus cū id primùm ferret ægerrimè postea civili animo tulit; cum didicisset, eam maledicendi licentiam obscurorum hñminum libertati atque nequitiaæ dari; ut cum insignes viros impune carperint, fortunam suam cā vindictæ voluptate consolentur. De-

D 2 cre-

mici

O R A T I O.

creverat Hadrianus Pasquilli statuam demoliri, atque eā in Tyberim præcipitare: sed Ludovicus Sueſſanus urbano falſoq; ingenio id fieri debere pernec-
gabat; subdens, Pasquillum vel in imo vadoranarum more non
effe taciturn. Ad quod Pontifex; Exuratur ergo inquit,
in calcem; ne eius vestigia ulla omnino memoria supersit. Tum
iterum Sueſſanus: recte inquit: sed tam crudeliter concre-
matō poētæ clientes non deerunt, qui patroni cineres invidiosis
carminibus prosequantur, & supplicij locum quotannis statuoſo-
lenni die celebrent. Quibus verborum lusibus Ponti-
fex ab iracundia ad jocos hilaritatemque sensus o-
mnes leniſſimè revocavit.

Quid nunc dicam de Principis RUDOLFI amore
in literas & literatos: qui fructus felicissimæ educa-
tionis & institutionis fuit non postremus? Ne quis
auratorum an auritorum istorum hominū non ho-
minum, quibus plerunq; vestis pluris est, quam ve-
ſtis fartum, & qui per Græcari malunt, quam Græciſ-
ſare, hic Principi nostro illudat; & Baccalaureum ita,
ſive vulpeculam Scholasticam fieri potuisse, Prin-
cipem aulicum politicum fieri non potuisse, atque
ſcommata ex hara & stabulis alia petulanter agga-
niat. Non capit is ô asini, hanc felicitatem, & mul-
tâ felicitate opus sit, ut hanc vestrā asinitatem ju-
ſtis lacrymis deflere possitis. Quamprimum disci-
pulus ingreditur in humanitatis illud sacrariū, scho-
lam

O R A T I O.

Iam, foribus pariter ac vobis, cunctisq; bonę mētis Phalaridibus pessulum obdit, crudelitatem superbiām intēperantiā, amores, aliaq; id genus portenta quę parit segne otium, barbara nutrit ignorātia, excludit; & illustres virtutū animas in sanctissima colloquia vocat, tanta purissimę voluptatis asseßione, ut ad ceterorum magnatum ruditatem stupeat, qui hanc consūmatissimā beatitudinem ignorare volūt. Nugamini igitur, & ridete quantū vultis: Quid tū? risus vester phreneticorum est; qui tum est maxim⁹, cum morbi æstus est maximus. Ita & quædam virtutes odiōsunt, ajebat viva virtutum imago Pæt⁹ Thraleas. Credo, Auditores, hanc meam literarum defensionem pluribus disciplicituram. Quid refert? cū de vita benè instituenda agitur, non est respondendum more diſcussionum: *Hæc pars maior videtur*: ideo enim est pejor: quia nō tam benè cum rebus humanis geritur, ut meliora pluribus placeant. Ita multi mali calculos plures habent, non ex æquo & bono, sed quia plures sunt coñuniū vitiorū patroni. Placuerūt a. meliora Principi meo Rudolfo, & ex illis perplacuerunt literæ; & jam in istis ea jecerat fundamēta, ut suæ ætatis Principem neminē pœnitere debuerit. Anhelabat ad sapientię arcē duplii fine; ut cū iſ se rerum perit⁹ esset, tū ut alios suis meritis æstimare posset, nec protrito & vulgari illo errore ex alienis fraudi-

O R A T I O.

fraudibus & imposturis irretiretur; quo fit, ut plerunque ad dignitates & opes invidendas provehatur, qui nihil habent invidendum; adulandi artifices, gratiarum emptores, venditorum nepotuli, & aliis necessitudinibus devincti; jacentibus interim bonis nec degeneribus mundi incolis, quos contubernalis excellentium ingeniorum res angusta domi deiciit, aut fere in inferiora subsellia tantum admittit. Quia autem sagacissimus Princeps intelligebat vastissimū rerum addiscendarum esse mare, & ob infinitatem librorum, veterum & novorum, non semper tutò enavigandum; ille aliquando librū quem manu tenebat, volvens, & ad me converso sermone seriò optabat, *habere & scire tantum pauca & selecta*. Sapiens hoc votum! mi humanissime Princeps. Sicut enim qui in peregrinas regiones proficiscitur prudentiæ merces ex moribus institutisq; populorum conquisitus, tantas moras singulis in locis necrit, quantas proposito suo conducere putat: non secus Principi ad spem imperii nato tantum ex qualibet arte sumendūm, quantum ad usū Reipubl. & regiæ sapientiæ disciplinam erit satis. Desipiat, si nimium sapiat, & in omnibus sapiat: sapiat autem, si nihil alicubi aut parum sapiat. Argute cantor ille nobilis Philippo Macedoni de Musica dispu-

O R A T I O

disputanti; *Nunquam Di*, inquit, ô Rex tibi tantum malifaciant, ut tu me canendi arte vincas. Nam aliud est sceptrū, aliud est plectrum. Et ut ab omnibus otiosis disputationib. & quæstionibus abstinebit Princeps; ita eas in primis, quæ in rebus divinis non necessariò excitantur, prorsus aversabitur: cum fortè talis disputandi ratio nec Deo placere, nec ipsum Principem meliorem reddere, & quamplurimos turbare possit. Mihi profunda pietas & lata conscientia ex sacro Codice indefesso studio instructa sufficit: Nec in video sciolis, qui etiam ea scire volunt, quæ Deus voluit nesciri, mox ipsi Deo præcepta legum & fidei articulos proposituri. Optimum ergo est paucis innutrirī, paucis familiariter asuēscere: & paucis literis opus est ad bonam mentem. Vt si stomachus cibis etiā exquisitissimis nimiopere replet⁹ & infarct⁹ ad concoctionem est ineptus; corrumpit & magnâ naufragia reje&ctat, quæ avidi⁹ glutivit: ita multi literarū helluones assiduā eructatione intemperantiam ingenii sui perdunt. Hinc illa uberrima innumerorū librorum messis, s̄æpe si vanorum puerilium, inutilium & futilem; ut autoribus optem misericordiam, ne chartas & atramentum in posterum tam immaniter perdere, & typographiæ decus tam barbare denigrare velint. Et quia penes hoc illustre audi-

E

torium

O R A T I O .

torium' tutò deponere possum etiam temerarias cogitationes; seriò indignor, paulatim melioris monetæ scriptores è manibus hominum elabi; atq; iis antehaberi nonnullos infaustos partus eorum, qui magno conatu sè picule magnas nugas agunt, & qui bus palmarium est, longam varii censu scriptorū, etiam dupondiorum, seriem ferruminare, allegationum struibus superbire, & omnino sapere ex indigestis indicibus & inventariis: non quod ingenii vires periclitari non sit concessum cuivis, sed quod inficietas Tragorę reprehendam & similium,

Quos gignit, quoties voluit natura iocari.

Sed tales in literarum studiis obiectos scopulos facile evitasset oculatissimus Princeps, & sine tēporis jactura; quotidianā prudentium & eruditorum viorum conversatione præmonitus & præmunitus. Nā licet illi fuerit divini fontis ingeniū & prompta natura: tamen ab hac ipsa didicit, optimos etiam gubernatores remigū manibns haud mediocriter adjuvari. Quapropter ut aliis amor est undiq; gentiū pretiosa investigare: ita illum juvit studiosos sapiētiæ viros aut familiaritatēsibi conciliare. Que possē loqui latius, si veritas plurib⁹ verbis indigeret. Illud non prætereo tacitus, q̄ pridē erat dicendū; Principe RUDOLFUM gratissimo animo adgnovisse beneficia

O R A T I O.

neficia, quæ juventutis rectores in ipsum tulerant, spe factâ coram & literis firmissimâ se memorē animum illustri Principalis gratiæ significatione illis primâ quâq; occasione demonstraturū, & perpetuū tñ debendi reum fore. Tu nobilissime *Theodorice Sigismunde Kropfi*, amice vetus, vir multis titulis deprecandę, si verecundia tua laudum excursu onerari se pateretur; tu, inquam cum doctissimo *Jacobo Lampadio*, fuissetis inter primos tam præclaræ & splendidissimæ bēignitatis heredes. felices prefecti, felices præceptores, qui talia nomina habent; qui saluberrima institutione Principes discipulos ita fecerunt suos, ut arcana pectorum possideant, illa bonarum necessitudinum loca, quibus liberorum, quibus parentum affectio immoratur. Infelices autem illi, qui in educatione non, uti par erat, versati in se tristes Principis & populi sententias, maledicta & poenas concitaverunt. Seneca Neronis Præceptor *intræ quadriennium regiae amicitiae ter millies H.S.S. paravit*: quæ summa nostro more est, *Septuagies quinquies centena millia philippicūm*: istamen à discipulo peremptus est; impie quidem & atrociter: quis id neget? sed gratia molli nimis educatione parta odiuni, mortis caussā peperit. Imperator Maximilianus I. præceptore usq; est Magistro Petro, posteà novę civitatis Episcopo

O R A T I O.

Dialecticarum argutiarum amantissimo: à quo ille,
quia aculeata sophismata & fallacium couclsimi-
cularum decipulas capere non poterat, se picule ver-
bis & verberibus duriter admodum excipiebatur.
Post multos annos Maximilianus jam Romanorum
Rex factus in mensa Magistri Petri multis audienti-
bus mentionem faciēs. si, inquit, *bodie Præceptor meus*
Petrus viveret, quanquam multa Præceptoribus debeamus, es-
ficerem, ut ipsum pænitere me instituisse.

Certabat jam cum virtute Principis RUDOLEI
ipsa fortuna: utrāq; ad illius perfectionem depro-
perante. Et quidem post fratri HENRICI CARO-
LI Episcopi Halberstadensis mortem Inclytum Epi-
scopalium electorum collegium inter tot candida-
tos genere, potentia, & meritis eminentissimos,
RUDOLEUM nostrum delegit, cuius ratio præ ali-
is omnibus haberetur: quem etiam IV. Septembris
anni superioris consentientibus omnium suffragiis
postulavit & declaravit EPISCOPUM HALBER-
STADENSEM. Amplissima dignitas est Episcopa-
lis, Regiae proxima: & quam nemo non, qui bo-
nâ fide Deum colit, reveratur. Etsi ab aliquot se-
culis profani Episcoporum animi tantæ dignitati
multum indignitatis adfricuerunt. Sed ut olim Ro-
ma erat pro merito, & Rutilius profitebatur beatos,
qui nasci meruere felici solo urbis Romæ; quia

O R A T I O.

Senina virtutum demissa & tradita cælo

Non potuisse alijs dignius esse locis;

tamen posterioribus temporibus sic ibi omnia sensim degeneraverunt, ut nomen civium Romanorum prius magno æstimatum emptumq; Salviani Massiliensis Episcopi ætate sit habitum abominabile & vile, propter eorum iniquitatem & truculentiam : ita planissimè Episcopi & clerici ob singularem virtutæ sanctitatem & insignia pietatis virtutumq; facinora olim inter homines jure supremi ; hodie multoties , quantumvis nomina retineant dignitatum , ob voluptates tamen , avaritiam , & reliquam scelerum societatem pessimè audiunt , & propè inter damnata nomina multis locis referuntur . Et quotusquisq; gerit infulam pro D E T honore ? Quotusquisq; commissum munus pervigili animo & purâ mente administrat ? Nisi forte quosdam eorum , qui adhuc in tenebris Papalibus cæcutiunt , melioribus accensere velimus ; qui quidem non parùm diligentes sunt , sed eo diligentiae genere , quo Medici non satis docti , satis tamen seduli , ægrotos officiosissimè occidere solent . Quid putatis , mei Auditores ? si hodie redundum esset ad priscos Episcoporum mores : cum gentiles direptis Christianorum omnium facultatibus ipsos vitalis anhelitus Spiritus

E 3

illis in-

O R A T I O.

illis invidenter, & nullis usquam negata defunctis
inhiberent ultima commercia sepulture: quotusquis-
que Procerum & purpuratorum ambiret Episcopa-
tum? quotusq; postulationi ad tanta pericula annu-
eret? Cum Imperator Constantinus Magnus Con-
cilium Nicæa indixisset, edicto eius accepto ad tre-
centos octodecim ad volaverunt Episcopi; quorum
pleriq; membris aut parte aliqua corporis è superi-
ore persecutione manci ac debilitati conspicieban-
tur: & Imperat. qui Patres òes magnifico exceperat
convivio, cum ex illa mutilatione constantiam &
fortitudinem eorum in persecutione coniiceret,
labia cicatricibus eorū venerabundus admovebat
sibi persuadens, sanctam se illo osculo benedictio-
nem hausturum. At nostra tempora talem sancti-
moniam, talesq; constantiam Episcoporum, vix
amplius ferunt. Omnes volunt beneficium, sed si-
ne cura: omnes volunt hereditatem, sed sine sacris:
hâc avaritię peste in sacro ordine tam latè serpente;
ut rarissimi sint etiam minorum pagorum parochi,
qui, si alii majori ecclesiæ sint præficiendi, non que-
rant ante alia omnia, an pinguius sit alibi benefici-
um, de cura animarum solliciti posteriùs; veriti for-
taffis si ad pecuniam & divitias minus attenderent,
ne D. Pauli judicio tanquam suorum negligentes &
incuri-

O R A T I O.

incuriosi ethnicis anumerātur. Cui consequens est:
q̄ multi Nominales ei⁹ modi Episcopi & clerici Eth-
nicorum consuetudine rem divinam mandant, &
per vicarios, verissimo spretæ Religionis & digni-
tatis suæ judicio, exequuntur: quamvis laudibus &
Imp. Antonini Pii adscriptū sit, quòd is ullum sa-
crificium fecerit per vicarium. Et Gelasius Papa a-
cerbè objurgat Romanos; quod cum proclamarent
retinenda esse Lupercalia, tamen negligentissimè &
longè impari cultu ac devotione celebrarent, quām
majores solebant. *Cur vos pudet, ait, per vos ipsos talia ce-*
lebrare? Nemo religionem profitetur, quam per se exequi pror-
fus erubescit & refugit: ipsa verecundia vestra vos doceat cri-
men esse publicum, non salutem, & non divinitatis cultum, de
quo sapiens nullus erubescit, sed instrumenta privitatum, qui-
bus mens vestra contra semetipsam testimonium ferens, quod
gerendum profitetur, erubescit implere. Hæc Gelasii omnino
tangunt & accusant etiam istos Nominales nostros:
à quibus hoc unum quærere lubet; an & regnum
cœlorum per vicarium aut legatum acquirere &
possidere velint? Certè Diabolus non admittet vi-
carium; aut hoc solo non contentus erit, & una vo-
let Episcopum ipsum. Verùm hæc omnia Episcopis
non Episcopatibus, vitio verti; nec abusio hominū
rebus sacratissimis vituperationi esse debent. Quid
olim advocatorum ordine sanctius? quid preclarus?

Equidem

O R A T I O.

Equidem Imp. Anastasius vocat laudabile vitæ honoris
minuu necessarium officium, quod maximè Principalibus præ-
mijs oportet renunciari. Et Imp. Leo & Anthemius te-
stantur, Advocatos gloriose vocis consisos munimine laboran-
tium spem, vitam, & posteros defendere. At verò posteri
hominum mores polluerunt gloriam clarissimi mu-
neris, & infami metamorphosi Advocatorum mi-
litiam mutaverunt in malitiam; ut propterea foren-
sem professionem Epicurus Philosophus malam ar-
tem; Columella caninum studium ad latrendi, & contra in-
nocentes, & pro nocentibus; S. Augustinus eum, qui in foris
litigiosis excellit, hoc laudabiliorem esse, quo frandulentiorem;
& dixerint & scripserint. Inde obliqua dicta Sexto
Aurelio Victoricas idiorum figuræ, Suetonio, figuratus
morsus Macrobio, figurata & controversia Quintiliano,
præco figuratus, figurata laus honorifica contumelia. S. Hiero-
nymo, nihil aliud sunt, quam utilissima convitia Ad-
vocatorum; cum ruptis linguae promercalis capi-
stris commissarum sibi causarum infirmitatem rati-
onibus subdolis erigere & roborare adnituntur. E-
adem, Auditores, furia agitavit Ecclesiasticas di-
gnitates administrorum flagitiis: nec verbum am-
plius addo. Sed quo animo Episcopus noster de-
latam dignitatem accepit? Pio & magno & ut ve-
rum Episcopum decet; quem ut prosperos fortunæ
suc-

O R A T I O .

successus invictum seque ipso majorem sublimitas parti honoris inclinat. Ita ille loquebatur de hoc Episcopatu suo, ut constaret, jura Episcopalia se sarta tecta conservaturum, nec passurum, ut Fiscus ex Religionum & sacrorum bonorum damnis intumesceret. Sic judicabat enim: honorificentius Aquilis, Leonibus. Gryphibus, Draconibus, Serpentibus, ceterisq; Principum insignibus applicari amicas virtutes; quam sacrilegia, rapinas, furta & crimina alia; adeoq; ab auro Tolosano penitus abstinentia esse.

Quis fuerit Princeps & Episcopus RUDOLFUS in vita reliqua, jam ipse docuit; & ex dictis dicenda licet emetiri. Adspirabat in omnibus actionibus ad fastigium honorum, in spem illam ingressus longè pulcherrimam, qua olim etiam ostensurus S. Rom. Imperio Principem prudentię edecumatæ, Dioecesi Halberstatensi Episcopum vitæ sanctæ, Genti suæ novum columē, Patriæ dulce præsidum, Bello ducē præstantissimum, Paci tutorem idoneum, Aulæ verum amicum, omnibus deniq; hominem inter homines undiquaq; perfectum: sed dolendum id est, spatium vitæ brevioris. Etsi virtutem non senium, nec virum barba facit: nec ille est sapiētior, qui annorum canitie est venerabilis, sed qui morum. Omnis ætas perfecta CHRISTO est. Et videte hīc, mei

F

audi-

O R A T I O.

auditores, tyronē veteranum, puerum senem, impū-
puberem puberem, minorem majorem. Quem
enim vestrūm latet, moriendi disciplinam esse o-
mnium difficillimam & utilissimam? Illa sola si ad-
sit in homine, licet alię absint omnes, facit gloriosissi-
sum & divinum; si absit, licet alię adsint omnes,
facit inglorium & immemorabilem. Sed enim hu-
manæ fragilitatis recordatio refricanda est creber-
rimè; & præsertim ante oculos animosq; perpetuò
habendus & commemorando renovandus ultimus
ille actus, cujus scena M O R S est. Nā in cæteris vitę
actibus & scenis plerunq; exercent histrioniā Adā-
mi nepotes; sæpe vitia intercutia virtutum personā
sumunt, multoties os candorem mentitur, pompa
emendicat venerationem, profusio applausum: Sed
in illa extrema catastrophe omnia velo levato gerū-
tur, nullus simulationi aut dissimulationi est locus;
dignitas aut ætas excipiunt frustrā, omnes æquat u-
num verbū Deponens MORI, nisi quod duo Adver-
bia B E N E & M A L E hoc ingens & plurimis tremē-
dum faciunt discrimen; ut, qui bene moriuntur, pre-
mium vitae æternæ beati, qui malè moriuntur, pœ-
nam mortis æternę damnati, consequantur. Quare
cum subinde in Annalibus magnorum virorum res
gestas exanimo, nullam vitae partem trutino pensi-
culatius

O R A T I O .

culatius, quam illud postremum Vale, & illum e-
mortualem diem, qui de summa vitæ fert sententi-
am definitivam. Etenim.

Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est. &
Omnia tunc mala sunt, clausula quando mala est.

Verum hanc moriendi artem examissim calluit E-
piscopus & Princeps RUDOLFUS: & vix unquam vi-
di hominem in ultima necessitate sic præsentē. Ve-
nit is in hoc illustre Collegium nuper, XXVI. Apri-
lis dixit, se inveniri omnia ex sententia, sed asuesce-
re loco non posse; crederé quoq; vivum se inde non
discessurum. Quicquid agebat, meditationes mor-
tis semper vellebant auriculam; quibus ut se pasce-
ret liberiūs, parieti pergulæ Muséo contiguæ affigi
jussit exequiarum Serenissimo patri H E N R I C O
I U L I O factarum imagines; ad quas erat frequentif-
simus, sibi propheta, aliis interpres Genus morbi &
tempus mortis nonnunquam velut aliud agnus pre-
divinabat, cum asseveraret, se variolis, qui fratrem
H E N R I C U M C A R O L U M extinxerant sublaturum iri,
XIV. tum ætatis annum ad finem perducturum esse
Factum utrumq; & restabat biduum tantum ad pu-
bertatem. Cum ægrotare inciperet, & juventutis re-
ctores variis colloquiis, solatiis, & cantibus sacris a-
nimūm eius erigerent; *hanc verò cantionem ait, concini-*

te

Ka 1530

O R T I O.

te in qua illa verba, Contra mortem nulla crevit herba. Fūrm
Todt kein Kraut gewachsen ist. O animum spiritu DEI
plenum! O bonum Christianum! Et talis est æqui-
manus: qui res adversas in bonum piumq; usum, si-
ve in usum dextræ sinistra mundi convertit. Factis
autem omnibus, quæ ad reparandas vires fieri po-
terant, consiliisque & auxiliis omnibus exhau-
stis, tandem *optimus Princeps & Episcopus* die XIII. Junij
intra horam sextam & septimam vespertinam, pla-
cidissimè ex hac vita migravit, adiitq; hereditatem
cœli illam verissimè optimam maximam; quæ non
minuitum copiâ possessorum, nec fit angustior nu-
merositate coheredum; sed tanta est multis, quanta
paucis, tanta singulis, quanta universis.

MEMORIAE, DIVI RUDOLFI
Principis &c.

VIRtutes fuerant: annorum mille RuDOLFO
Bis septime annorum vix fuga vita fuit.
Morte piâ meruit cœlum, sine fineq; vitam:
Sed mors vix punctum temporis illa fuit.
Hæc ego dum trado memor i miracula seculo:
O quanto mihi sunt Vitaq Morsq; lucro
Vitam post vitam donat mihi Vita RuDOLFI:
Mors immortalem me DuG IS illa facit.

Faciebam 25. Aug. A.C. 1616.

T.L.

F I N I S.

1077

Q.K.
398
17.

ORAT
in funere
RUDOLPH
Episcopi Halb
Ducis Brunsvic
neburgensis
Principis Juv
Habita
Tubingæ, in Illustri C
Anno Christi M D
THOMA LAM
GVELPHER
Typis ELIAE HOLVV



10178